7940

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

393609

SPECIMEN LITHOGRAPHIÆ HELVETICÆ CURIOSÆ,

Quo

Lapides ex Figuratis
Helveticis Selectiſſimi
Æri inciſi ſiſtuntur & deſcribuntur

à

JOHANNE JACOBO
SCHEUCHZERO,
Med. D.



TIGURI,
Typis DAVIDIS GESSNERI,
MDCCII.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE DE LYON
Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO ET
EXCELLENTISSIMO

FRANCISCO
HONORIO,

Sacri Romani Imperii Comiti

DE

TRAUTTMANS-
DORFF,

Libero Baroni in Tozenbach,
Domino in parvo Carlowiz
& Glaſendorff,

Sacræ Cæſareæ Regiæque Maje-
ſtatis Conſiliario Intimo
Camerario,

nec non

Interioris Auſtriæ Vice-Præſidi
Cameræ,

&

Ad Helveticas Reſpublicas Oratori
Extraordinario,

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts

Digitized by Google

ILLUSTRISSIME ATQUE EXCELLENTISSIME COMES.

TImidâ mente, ac tremulo pede accederem Aræ Tuæ omni ſcientiarum Artiúmque fulgore ſplendenti nudus ego, cui exigua eſt doctrinæ ſuppellex, niſi timorem excuteret inſignis Tua erga omnes humanitas, tremorémque diſpelleret ſingu-

Digitized by Google

ſingularis & nunquam promerita erga me Benevolentia, pro qua, licet omnem *Lapidem* moveam, præter *Lapides* & *Saxa* nîl redhoſtire poſſum. Audentior ibo, ſpecimen hocce *Lithologicum* ILL. EXC. V. conſecraturus, imò perpetui cultus, & duraturi obſequii monumentum demiſsè oblaturus, quoniam hoc quantulumcunque exhibet vaſtiſſimi particulam *Regni*, cujus Ipſe es Scrutator indefeſſus, Admirator ſummus, *Naturam* intelligo, quæ Majeſtatem ſuam ubique expandit, in ipſam Tuam Amicitiam & Secretum admiſſa; *Naturam* non tam Auro Gemmisque divitem, quàm *Figura*-

tricem, quæ jucundas animo contemplationes ſiſtit, ſeu ſpectetur ut ludibunda, in productione rerum mirè figuratarum ad ornatum Mundi potius, quàm uſum facientium, ſeu conſideretur, ut Diluvianæ Inundationis index. Accipe igitur ILLUSTRISSIME MECÆNAS, hæc *Naturæ jocantis Ludibria*, vel *lugentis reliquias*, admitte eas in conſortium aliorum Naturæ Arcanorum, quorum ingentem ingenti curâ jam collegiſti Theſaurum, erige porrò ex ſpoliis antediluvianis à Natura obtentis *Trophæa*. Vive INVICTISSIMO IMPERATORI, & in hoc ſtudii genere, charus, Orna-

men-

mentum Illuſtriſſimæ Tuæ Stirpis, quæ gloriam bellicis virtutibus, aliíſque plurimis geſtis heroicis per aliquot ſeculorum decurſum partam, in Te aliíſque Proſapiæ Antiquiſſimæ pariter aç Generoſiſſimæ Membris feliciter continuatam videt & renovatam. Viros habuit Gens veſtra Heroéſque plurimos Sago togáque inclytos, de Sereniſſima Auſtriaca Domo peroptimè meritos, quos numerare omnes Chartæ hujus anguſtia vetat. In cruento illo, quod Glorioſiſſimæ Memoriæ Imperator RODOLPHUS I. cum OTTOCARO Bohemiæ Rege Anno 1278. iniit, prælio, fuerunt ex Familia ve-

ſtra quatuordecim, quorum ſanguine victoria ſtetit. In alio conflictu, quo FRIDERICUS III. & LUDOVICUS Bavarus ſedem Imperatoriam armis decreverunt Anno 1322. ex tribus ſupra viginti veſtri Nominis Heroibus non plures evaſerunt quàm duo, *Harandus* & *Hector*, quorum poſterior, *Audax* cognominatus, ab ipſo Ludovico Victore fuit ex Captivo in ſupremi Camerarii dignitatem evectus. In Bello nupero contra Turcas geſto, & glorioſè terminato, novem numeratis, qui vitam ſuam pro Imperatore expoſuêre, & aliqui quidem depoſuére, in univerſum autem ex ſexaginta & pluribus

Pro-

Digitized by Google

Proſapiæ veſtræ Heroibus, qui per aliquot ſeculorum ad hæc noſtra tempora defluxum præliis, certaminibus, obſidionibus variis, omnes cum laude, interfuerunt, quadraginta ſex, qui morte ſua victricia Imperatorum, Regum, & Archiducum Auſtriacæ Domus arma adjuvârunt. Ipſe, cujus fama volat per orbem, Illuſtriſſimus Frater, Comes, *Sigiſmundus Joachimus*, Sacræ Cæſ. Majeſtatis Camerarius, Equitatûs Cæſarei magnanimus Dux & Præfectus, eas, quas per quadraginta duos annos Arte & Marte acquiſivit laudes, ſtrenuè proſequitur in Bello Italico felicibus auſpiciis cœpto;

ſicque memoriam renovat bellicoſi Ducis *Nicolai*, unius ex Majoribus veſtris, cujus prudentiæ atque fortitudini unicè ferè fuit adſcripta victoria celebris illa CAROLI V. de FRANCISCO I. Galliæ Rege prope Papiam obtentâ. Ibunt & Tuæ, COMES EXCELLENTISSIME, Laudes, omni Encomio majores, in ſecula. Veſtigia exprimis Prudentiſſimi illius, & rerum uſu peritiſſimi Comitis *Maximiliani*, qui primariis ſub Imperatoribus Glorioſiſſimæ Memoriæ RODOLPHO II. FERDINANDIS II. & III. muneribus defunctus, tandem Plenipotentiarius Pacificationes, Pragenſem, Monaſterien-

rienſem & Oſnabrugenſem clauſit. Vive igitur Orbis Literarii Decus, Muſarum Patronus, donec in ſerâ ſenectute omnibus Animi Corporiſque bonis locupletiſſimus Comes Deorum fias. Sic voveo

ILLUSTR. EXC. V.

Tiguri ex Muſeo Cal.
Maji. 1702.

Devotiſſimus Cliens

Joh. Jac. Scheuchzer. M. D.

Digitized by Google

Lectori Benevolo Salutem.

ACcipe, Lithophile, Fragmentum *Hiſtoriæ Naturalis Helveticæ*; cui condendæ omnes impendam ingenii vires, ut expectationi AMPLISSIMI noſtri MAGISTRATUS reſpondere queam, cui placuit hoc meum propoſitum Authoritate publicâ ſuffulcire, commendare, & proin inſigniter promovere. Erit hoc qualecunque ſpecimen tantò acceptius Tibi, ac mihi, quia ſiſtit ex Lapidibus Figuratis Helveticis ſelectiſſimos, qui aliis Scriptoribus vel nondum memorantur, vel ſingulare quid ſecum ferunt, quod Parti huic Naturali Hiſtoricæ illuſtrandæ, & ad altiorem gradum evehendæ conducit. Hiſtoricum ago potiùs quàm Phyſicum, abſtinui in re tam difficili, ab examine Hypotheſium, & lubentiùs adhuc à propriarum cogitationum de origine id genus Naturæ mirandorum propalatione. Fiet id, ſi DEUS vitam concesſerit & vires, majoríque obſervationum ſuppellectili inſtructus fuero, in ampliori opere, cui collectanea inde ab aliquot annis paro. Judica mecum ex Prodromo hocce de ingenti Foſſilium Figuratorum in Helvetia reperiundorum numero, & Labores meos benevolè ſuſcipe, judiciosè & modeſtè corrige, pro viribus adjuva, méque, Amice Lithophile, ama.

SPE-

Digitized by Google

SPECIMEN LITHOGRAPHIÆ HELVETICÆ CURIOSÆ.

EST *Juræ*, vel *Juraſſi*, principium *mons Legerius*, qui vulgò die Lägeren/ Läger- Leger- und Läber-Berg dicitur, TIGURINORUM Dominio magnâ ſui parte ſubjectus, Lapidum à Naturâ Figuratorum ferax, multùm proin à curioſis Lithophilis frequentari ſolitus, qui antehac conſcenderunt cacumen montis, ubi ſpecula locatur, ad ſaccos ſpoliis id genus Naturæ implendos, nunc etiam ultrà excurrunt, & in continuato per Comitatum Badenſem montis Legerii jugo paſſim inveniunt, quod animis paſcendis inſervit. Poteſt hic ipſe *Legerius* mons in conſortium vocare *Randium* Scaphuſianorum, & majore forte jure, quàm *Neſſus Stockhornium* montes Bernenſium editiſſimi in colloquio illo *Ræbmanniano*. Sunt quippe duo hi, unus Tigurinorum, alter Scaphuſianorum,

 norum,

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts

norum, montes productis Naturæ Figuratis æquè feraces, ſunt, quod magis mirum, figurati Lapides utrobique ejusdem ſpeciei, magnitudinis, & materiæ, ac ſi Siſyphus aliquis ſaxa hæc non tam mole, quàm figurâ miranda, ultro citróque projecerit. Commiſceri ita poſſunt utriúſque montis incolæ, & plerique, ſi non omnes, Legeriani pro Randianis haberi, ut proin unicum Randio reſervare voluerim.

Aſteria columnaris Entrocho ſimilis.

Notus eſt hic Lapillus Scriptoribus noſtratibus, Germanis, & Anglis; Polyhiſtori Geſſnero noſtro vocatur *Aſteria vera*, & *Sphragis Aſteros de Fig. Lap.* p 37. *Aſteria vera* ſeu *ſtellaris Lapis* B. *de Boot. Gemm.* & *Lap.* L. II. c. 148. *Aſtroites Entrocho ſimilis Velſch. Hecatoſt.* I. p. 52. *Aſterias* id genus plures ſiſtit *Luid. Ichnograph. Lithophyl. Brittann.* n. 1168. &c. *Wagnero* noſtro vocatur in MSC. *Lapis ſtellaris fiſſilis;* ein runder Stern-Stein/ atque ibidem ita deſcribitur. *Lapillus eſt figurâ cylin-*

lindricâ,in aliquot ſegmenta ſeu circulos diviſus, colore cinereo, ſupernè & infernè etiam inſectiones ſuas diviſus, elegantiſſimâ ſtellâ radiis quinque conſtante eſt exornatus, eámque Circulus Halonis inſtar circumdat, ſegmenta invicem ſuperpoſita, & 6. 8. 9. aut plura interdum cohærentia, ac concinnè ſimul juncta, plures ſtellas innuunt. Comparet itaque Aſteria noſtra non tam ut nova, nec antehac viſa, ſed ſub novo novæ & exactioris deſcriptionis ſchemate, novis quibuſdam obſervationibus illuſtrata, ut earum intuitu cum aliis exoticis Aſteriis & ſtellis ipſis marinis meliùs comparari queant. Sunt hæ Aſteriæ noſtræ lapideæ ubi ſolitariæ inveniuntur, quandoque in ambitu rotundæ, quandoque pentagonæ, angulis ipſis rotundatis; aliquando etiam quinis in ambitu extremo cavitatibus notatæ. Imò, quod hîc præcipuè indicare volui, in una & eadem columna, quæ à binis ad duodenas ſtellulas aſcendit, ſpectantur, ſed raro, omnia citata Phænomena; ita nempe, ut ſtellula prima, & ſecunda ſit pentagona, ambitus utriuſque plusquàm dimidia pars quinis loculamentis (illis ſi-

milibus, in quibus ſtatuæ in Architectura Civili locari ſolent) excavata, ſequentes dein ſtellulæ rotundæ, ſeu orbiculatæ; ſicuti videre eſt in *Fig.* 1. Dantur & columnæ, quarum quinæ cavitates ſecundùm longitudinem per omnium ſtellarum ambitum protenduntur, uti *fig.*2. Magnitudinem ſi ſpectes ſunt aliæ craſſiores, aliæ tenuiores; uti *fig.* 3. Sunt pleræque columnæ rectæ, uti *fig.* 1. aliquæ arcuatæ, uti *fig.*4. In ſuperficie ipſa ſtellularium orbiculorum ſunt quinæ ſtriæ punctulatæ à centro verſus peripheriam protenſæ, cum Halone ſeu ambitu crenato, uti videre eſt in *fig.* 5. Locum nativum proximum harum Aſteriarum quod ſpectat, inveniuntur hæ quidem ſolitariè in Agris montis Legerii & Randii, aſſiis Figuratis Lapidibus interſperſæ, ſed & maſſis lapideis, veluti matricibus adhuc incluſæ, è quibus per pluvias & alternos frigoris calorísque inſultus laxatis procidunt.

Cylindricus Lapillus.

Cylindrici Lapidis, Silicei intus extráque meminit *Merrett. Pin. Rer. Britt.* p. 213.

213. ſed quia eum non deſcribit. huc præcisè trahere non audeo. Propiùs accedit ad noſtrum, *Entrocho congener* VOLVOLA *vulgaris eburnea, Luid. Lith.* n. 1162. Verùm quia in hac volvola unica ſolùm adeſt ſtria inſignis, ubi Entrochorum rotulæ innumeris ſunt exaratæ, cadit inſimul Identitas Volvolæ cum Cylindrico noſtro lapillo. Hic quippe in baſi ſuperâ & inferâ halonem habet ad marginem punctulatum, punctulis à centro medio æquidiſtantibus, ſicuti indicat *fig. 6.* nudo & armato oculo ſubjecta. Reperiuntur hi & ſequentes lapilli plerumque monadici, rariſſimè bini ternive invicem commiſſi; unicum vidi Modiolo ſtellato mox deſcribendo junctum.

Dolioli figurâ Lapillus.

Eſt *ipſa volvola doliata, ſeu cadiſcum referens elegantior.* Luid. n. 1163. quam depingit ipſe Tab. 13. & nos *fig. 7.* & *Entrochus conſtans ex trochitis ſenis candidis, quorum pars media tumet.* ap. *Lachm. oryctogr. Hildesh.* n. VI. p. 56. ſicuti autem dolia alia in longitudine duplam habent, vel ſim-

Digitized by Google

plam latitudinem, ita inter noſtros lapillos, qui ſolitarii fere, raró juncti invicem reperiuntur, alii ſunt duplo aliis longiores, & ejuſdem tamen craſſitiei, uti ex figurarum inſpectione patet. Horum doliolorum ſi invicem hæc junguntur, inviſibiles fermè ſunt commiſſuræ, baſes ad ſenſum ſunt læves ſeu planæ, microſcopio tamen ſubjectæ ſtrias exhibent ultra planam ſuperficiem parùm elevatas, & breviores ex illis circulum habent ex centro ductum, & parùm excavatum. Natalis locus eſt mons Legerius.

Fungulus pyriformis lapideus.

Lapillus eſt ejus magnitudinis quam *Figura 8.* indicat, capitulo globoſo punctulis cavis undique, majori autem foramine in ſummo apice inſignito, in pediculum deſinens pro totius corporis magnitudine ſatis craſſum. Conferri poſſunt cum his noſtris lapillis *Funguli calici formes ſeminiferi Chriſt. Mentzelii. in Pugill. Plant. rarior.* antequam ſcil. ſeſe aperiunt. In monte Legerio hic lapillus reperitur.

Digitized by Google

Bireti-formis Lapillus.

Ejus eſt magnitudinis,quam *fig.9.* ſiſtit, figurâ ſimilis tegmini illi capitis,ſeu pileo, quem nos Baret / Baretlin vocamus, voce derivata à pilei illo genere, quod ſub nomine *Birri*, *Burri*,*Byrri*, *Biretæ*, *Birrheti*, *Birreti*, *Birretri* deſcribit *Spelmann.* in *Gloſſario* in parte ſuperiori punctulis cavis, uti præcedens Lapillus, in baſi autem prominentibus eſt inſignitus. In Monte Legerio reperitur.

Alveolus Luidii. *fig.10.*

Catalogo huic meo tantò lubentiùs infero Lapidem formatum inſtar ſpeculi concavi, vel lentis convexo-concavæ, ut pateſcat convenientia Foſſilium Figuratorum Helveticorum cum Anglicis, quàm datâ quavis occaſione oſtendere annitar, quum nemo magis quàm Angli hoc ſtudii genus & excoluerint,& promoverint: Conveniunt autem Alveoli noſtrates prorſus deſcriptioni *Luidianæ*, quam habet p. 86. in hunc modum:

dum: *Alveolum Lapidem quod attinet; is ſicut Entrochus, Aſteria, & reliqua Aſtropodia, ſigillatim, aliàs conjunctim invenitur. Quoad deſcriptionem, orbiculatum capſulæ operculum dixeris; modicè excavatum marmoris inſtar politiſſimum, magnitudine variâ à Bufonite minore orbiculato ad Capſulam Horologii portatilis, ſeu Conſpicilii vitrum* (noſtrates ad dimidiam magnitudinem) *Nonnunquam in arvis, in argilloſis, & fodinarum ruderibus* (in montium Legerii, & Randii Agris lapidoſis apud nos) *apud Anglos mediterraneos ſeorſim occurrit, at nativus locus Belemnitarum majorum calyx eſt. Hiſce enim fractis geniculatum Alveolum fuſi formem, cavitatem ſuam occupare ſæpiùs notavi, lamellâ maximâ ſupino concavo ſupremum locum tenente, reliquisque ordinatim pro Belemnitæ formâ diminutis.* Quod hîc de Alveolorum nativo in cavitate Belemnitarum conica loco adnotat Luidius, ſemel tantùm obſervavi in Helvetia, dum fruſtuli Belemnitæ centrum occupare vidi Alveolum marmoris ad inſtar politum. Sed longiorem ex Alveolis pluribus invicem Entrochi inſtar junctis columnam in matri-

matrice Belemniticâ jacentem inveni in Agro Norimbergenſium Altdorffino, qui Lapidum Figuratorum eſt ſatis ferax: Hanc, quia ad confirmandam Luidii obſervationem multùm facit, & rem præſentem illuſtrat, in *fig.*11. huc apponere conſultum duxi. Non confundendi autem ſunt Alveoli Anglici pariter ac Helvetici cum *Lapide Caudæ Cancri ſive Aſtaci fluviatilis Geſſneri, de Fig. Lapid.* p.167. Conſtat quidem & hic ex pluribus alveolis invicem inarticulatis, ſed non rotundis, verùm inſtar Caudæ Aſtaci hemiſphæricis, tranſitque per totam mediam Lapidis longitudinem foramen, materiâ quidem lapideâ infarctum, quod in tuberculum prominulum tandem deſinit, id quod in Alveolis noſtris non reperitur.

Scyphoides lapillus pedunculo carens. fig. 12.

Oculum Cancri primo intuitu refert, ut hinc *oculi cancri lapidei*, vel *Gammarolithi lapidei* nomine hactenus nobis

venerit. Attentiùs autem conſideratus Scyphum potius vel poculum latiuſculum rotundum pedunculo deſtitutum referre videtur, ſupernâ ſui parte eſt cavus, in imâ & contractiori baſi circello extante eſt inſignitus, ac ſi excipiendo pedunculo foret deſtinatus; cæterùm totam lapilli craſſitiem penetrare videntur quinæ ſtriæ, ut hoc intuitu ad ombriarum claſſem referri queat. In Randio & Legerio montibus reperitur.

Modiolus ſtellatus Luidii. *fig. 13. a.*

Lapillus in montibus Randio & Legerio reperiundus ſub novo hoc Luidii nomine potius deſcribendus mihi videtur, quàm ſub *Caryophylli Lapidei*, vel *Caryophylloeidis Lapidis* Titulo, quo venit *Wagnero* in *Ephem. Germ. Ann.* 3. *Dec.* II. p. 370. non obſtante etiam Authoritate Ruſticorum Scaphuſienſium, qui Lapillum hunc Nägelein-ſtein / & Eß-nägelein vocant, quòd figurâ Caryophyllum aromaticum referat. Dignus omninò

eſt

eſt lapillus hic extra Helvetiam, in ipſa quoque Anglia rariſſimus, nec etiam apud nos frequens, Luidio *Lythophyl.* p. 97. nonniſi ſemel in Caldariis rupibus repertus, qui paulò exactius & depingatur, & deſcribatur, quò ſic cum ſtellis ipſis marinis tantò certiùs conferri, atque Luidii his Lapidis noſtri natales adſcribentis ſententia vel corroborari, vel in aliam meliorem commutari poſſit. Conſtat igitur Modiolus noſter lapillus ex ſelenitica materia ſicuti Aſteriæ Lapides Judaici, aliíque congeneres figurâ refert campanulam, vel florem monopetalum campanæ formem, eúmque in marginem pentagonum expanſum, cavitatem explet lamina ſtellaris etiam pentagona concava, baſis ima non eſt acuminata, ſed latiuſcula circello punctato coronata, & puncto centrali excavata, cui ſemel duntaxat vidi articulatum Cyliadricum lapillum ſuprà deſcriptum. Condonabit opinor Luidius, pro ſua erga novas Nominum fabricationes proclivitate, quòd ſuo potius quàm Wagneriano Titulo Lapillum noſtrum inſigniam, nec ægrè remittet

Digitized by Google

tet de ſua ſententia deciſoria, quâ *Author non vult eſſe, ut quis Caryophylli lapidei nomine proſcripto aliud nomen excogitet*, ſiquidem ipſi accedit, quod alii demitur. Condonabunt & ipſi *Wagneri* manes, ſi comparationem lapilli noſtri cum Caryophyllo aromatico inſtitutam minùs congruam oſtendero, ſicque onomatologiam mutavero; ſunt quippe fructui aromatico Indico quatuor in extremo calice prominentiæ, quibus fructus ſubſphæricus inſidet, nec poſſunt *Caryophylli* rariores *Regii* dicti ex Inſula Amboina huc commodè referri.

Modiolo ſtellato *pentagono* adjungi meretur alius *tetragonus*, lapillus candidus *fig*. 13. b. cujus baſis ſumma eo ferè modo eſt lineolis prominulis diſtincta, quo Themata Aſtrologorum natalitia delineari ſolent.

Ovulis aſperſum Saxum.

Inter alia Naturæ Figurantis producta reperias in monte Legerio Lapides calcarios, quorum ſuperficies conſperſa

eſt

Digitized by Google

eſt ovulis, ſeu piſcium ea ſint, ſeu ranarum, ſeu Loricæ Marinæ Imperat. H. N. p.688. candidis variè compreſſis, & punĉto nigro notatis; Exhibet hoc phænomenon *fig.* 14. prout oculis nudis & lentè Microſcopiali parùm armatis id comparuit.

Stigmites. fig. 15.

Lapis eſt albus vel cinereus in monte Legerio reperiundus punĉtulis impreſſis veluti totidem ſtigmatibus per totam ſuperficiem notatus.

Retepora ſeu Eſchara marina Imperati Lapidea. fig. 16.

Quantò rarior eſt Porus hic Imperati inter ſui generis marina, tantò curioſior eſt Retepora Regno Minerali illata ad amuſſim exprimens Archetypum Imperati, quocum Lapidem noſtrum conferimus. In monte Legerio reperiuntur paſſim fragmenta, aſt rarius & grandius ſpecimen coloris ochracei

racei, impreſſum ſaxo cinereo, inventum eſt ad radices Caſtelli Badenſis. An aliis deſcriptum vel memoratum fuerit hoc Figuratum, dubius hæreo. Conferri interim poſſunt *Lapillus quidam albâ cruſtâ obductus, foraminulis quaſi acu factis plenus.* Ein Steinlein mit einer weiſſen Haut / einer Haſelnuß groß / voller Löchlein / als wann ſie mit einer Nadel geſtochen wären. *Muſ. Spener.* p. 109. (forte idem hic eſt cum ſtigmite noſtro) & *Corus* [lege *Porus*] *minimus reticulatus, coloris ſæpe albidi, nonnunquam rubiginoſi, è Sabuletis Faringdonenſibus apud Bercherianos. Luid. Litoph.* n. 95. potiori adhuc jure *reticulata quædam ſpecies ex Caldeia Inſula*, de qua *utpote non viſa dubitat* Idem p. 105. *utrum ad Eſcharam aut Reteporam referri debeat, nec ne?*

Corallium foſſile cortice reticulato obductum. fig. 17.

Digiti eſt craſſitie incruſtatum Tartaro ſeu Fuco *Bocconi*, quem deſcribit pagg. 7. 9. 10. 17. 160. de ſes *Recherches Naturelles*, & ſeptimâ quidem paginâ hunc

in

in modum. *Toute la ſurface du Corail, quand il ſort de la mer eſt cou-vert d'un Tartre, ou croûte deliée rouge ſur le Corail rouge, & blanche ſur le blanc. Et quant à cette croûte, nous l'appellerons Fucus, quoy que les Autheurs l'appellent Muſcus, ou Tartre* &c. Huc referendus forte *Porus iſte gallinaceæ pennæ minoris craſſitie, undiquaque punctulatus* apud Luid. p. 105.

Alcyonii bifurcati fragmentum. fig. 18.

In monte Legerio repertum accedere videtur ad *Alcyonium foraminoſum*, vel *quartum Dioſc. Imperat. Hiſt. Nat.* p. 641. poteſtque conferri cum *Madreporæ cujuſdam foſſilis fragmento Luid.* n. 107.

Alcyonium foſſile *ſtupposum Imperati*; vel *quartum Dioſcor. fig. 19.*

Hunc Titulum mereri mihi videtur Lapis in Legerio, Randióque ſatis frequens,

quens, quem *Fungitæ* nomine hactenus inſignivimus, ſecuti authoritatem *Wagneri* cui *Hiſt. Nat.* p. 309. venit nomine *Fungi Lapidei*, ſteinerne Pfifferling; Expandit ſeſe à tenui baſi, petiolum quodammodo referente, in latum ambitum Trochi ad inſtar, cum quo pueri ludunt, variantis aliâs eſt figuræ, & nunc ſtatim, nunc ſenſim, ſeſe à tenuiore baſi in capitulum largius explicat. Figura 19. quæ occaſionem mihi dedit Fungitæ nomen in Alcyonii Titulum commutandi, fragmen eſt maximi ex pluribus id genus lapidis, in quo diſtinctè notari poteſt cortex, vel Alcyonium ipſum digitalis fermè craſſitiei, repletum materiâ ſaxeâ duriori, quâ exemtâ cavitas prodiret illi prorſus ſimilis, quam in figurâ exprimit Imperatus. In aliis cortex hic vel non diſtinctè cernitur, vel prorſus abeſt, & lapis ipſe Fungum pileolo donatum cum vel ſine pediculo, uti etiam poroſum, ſatis aptè exprimit, ſicque *Fungitæ* Titulum præ illo *Alcyonii* foſſilis meretur.

Alcyo-

Alcyonium tuberoſum formâ fructus alicujus ficûs, vel Alcyonium quintum Dioſc. Imper. H.N. p.641.

Eſt & hoc foſſile Figuratum à Ficûs formâ *Ficoides* nobis hactenus, Wagnero in MSC. *Caricoides*, Feigenſtein/ nuncupatum, in Legerio æquè ac Randio paſſim obvium, & figuræ non unius. Aliud Ficum proximiùs refert, & ſtrias habet à peripheria ad centrum tendentes, in ſupremâ baſi præſertim conſpicuas; *fig*.20. Aliud non ſtriatum eſt, ſed ſtigmatibus, veluti acu factis punctulatum; *fig*. 21. aliud tuberoſius à figura Ficus abſcedit, & *Tuberis Lapidei* nomen potius meretur, utpote in amplum ventrem expanſum, ſulcos habet, ſeu foramina ampliora profundiùs excavata, quæ abſque ordine ullo plerunque ſunt exſculpta, aliquando tamen ſecundùm longitudinem Judaici Lapidis inſtar protenſa, *fig*.2. omnia hæc ſunt foramine in ſummo, eóque majori, vel minori, aper-

to vel clauſo, aliquando totum lapidem pertranſeunte exſculpta; magnitudine quoque variant, & longitudine, dum alia pennâ anſerinâ vix craſſiora ad digiti longitudinem, & ultra ſeſe protendunt; alia vix digitum longa duplam tamen craſſitiem obtinent; alia nucleum Ceraſi non ſuperant, alia ad pugni magnitudinem, & ultra aſcendunt. Forſan & hæc Foſſilia *Fungitarum*, *Tuberúmque Lapideorum* Titulum merentur non minus, quàm quæ mox deſcripſimus.

Alcyonium vermiculare (Vermicchiara) *Alcyonium Mileſium vel tertium Dioſc.* Imperat. H. N. p. 639. *fig.* 23.

Σκωληκοειδὲς ſeu vermiculare hoc Alcyonium non in Montibus Legerio & Randio duntaxat, ſed & in Comitatu Neocaſtrenſi, & Birſa flumine in Territorio Baſileenſi, paſſim eſt obvium, Lapidibus tam arenoſis, quàm calcariis, conchi-

chitis etiam aliiſque figuratis inſidet, vermiculorum ad inſtar, vel excrementorum à lumbricis depoſitorum in modum convolutum, cæterà colore candidum, vel cinereum. *Tubulites* dicitur, ſeu *Lapis tubulum Vermium exactè referens*; Wurmſtein / ſteinerne Wurm. *Lachm. Oryctogr. Hild.* p. 48. *Vermicularia Luid. Lithoph.* n. 1213. ad 1221.

Patella Lapidea. fig. 24.

Ita forte dicta, ipſi *Wagnero. Helv. Cur.* p. 318. quia Patinæ parvæ figuram exprimit, quam Patellam in diminutivo nominârunt Veteres; patula eſt, concava, & margine rotundata, ac ſi torno eſſet elaborata, baſi convexâ. In montibus Randio, Legerio, & circa urbem Liechtſtal ditionis Baſileenſis reperitur. Magnam quoque affinitatem habet hoc foſſile cum fungis orbiculatis cavis, & talem quidem, ut cum his certiùs quandoque, quàm cum ipſis patellis conferri poſſit; & tunc *Fungorum foſſilium* ſeu *Lapideorum* cognomen potius mereatur.

Surculus lapideus, Adarce vel Tartaro incruſtatus. fig. 25.

Refert hoc foſſile præciſum alicujus ſurculi ſegmentum, copioſo Tartaro, vel ſi mavis Adarce, obductum, ac ſi aquis petrificantibus, Tartareâ cruſtâ ligna, aliáve injecta temporis tractu obvolventibus, fuerit exemtum, & poſtmodum ad majorem petrefactionis gradum redactum.

Lithophyton, ſeu *ſpinoſus Lapis VVagneri Helv. Cur.* p. 313. *fig. 26.*

Spinas è trunco ſuo oblongo proferens, colore albo, in Legerio provenit. Eſt bacillus nodoſus ad inſtar Clavæ Herculis in fragmentis tantùm hactenus obſervatus. Comparatio interim poteſt inſtitui hoc foſſile inter, & *Lithophytum nigrum majus & craſſius* Tournefort. ſeu *Corallium nigrum* C.B. item cum *Corallina nigra veluti ſpinis exaſperata.* C.B. nec non *Spinis Hiſtricis marinæ petrefactis,* quæ *Baſton-*
celli

celli impietriti cognominantur in *Boccone Muſ. di Fiſic.* p. 183. & rectiùs tamen ad Lapides Judaicos pertinent, quàm ad *Bacillos* noſtros *foſſiles nodoſos*, ſi non hi ipſi ad Judaicorum Lapidum ſpecies referri poſſunt.

Concha foſſilis Tellinoides poroſa levis. fig. 27.

Ex plurimis Conchis lapideis atque Conchitis in Helvetia paſſim reperiundis, quorum deſcriptionem *Operi* ipſi *Hiſtorico-Helvetico-Naturali* reſervo, aliquos duntaxat ſiſto, rariores ſcilicet, & ab aliis non, vel obſcurè deſcriptos, quos inter primùm commemoro *Concham foſſilem Tellinoidem*, ita mihi nuncupatam quia cava eſt, ſui ſimilem marinam, planè repræſentans, & Tellinæ formam rhomboidalem exprimit; ab una cardinis parte, eáque nunc dextra, nunc ſiniſtra (unde non univalvem, ſed bivalvem quoque dari, vel primitùs fuiſſe conjicio) longiùs excurrit alterutrum latus, idque recta prorſus lineâ, dum latus brevius nunc

Digitized by Google

ſeſe incurvat, nunc, & plerumque, rotundat. Structuram quod attinet, eſt ea rara admodum, poroſa, πολύτρητ☉ς, poris non in ſuperficie tantùm conſpicuis, ſed totam eámque inſignem craſſitiem perforantibus, eo planè modo, quo Aſtroitarum pori & ſtellulæ totam plerumque maſſam penetrant. Cavitas interna eſt lævis, & tamen lineis ab uno latere ad alterum transverſim excurrentibus notata. Magnitudo variat, à minoris quippe Tellinæ formâ aſcendunt Conchæ hæ foſſiles ad eam magnitudinem, quam fragmentum in *fig*. 28. unâ cum complemento ſiſtit. Cæterùm friabilis eſt & ita fragilis hæc Concha, ut rariſſimè reperiatur integra, nunquam prorſus bivalvis, & ideò Lapidis nomen vix promereatur, niſi poroſioribus & mollioribus accenſere illam velis. Habeo & fruſtulum conchæ violentiâ quadam contortæ ſeu compreſſæ. Color plerumque eſt cinereus, aliquando ſubpurpureus, & rubiginoſus.

Pectun-

Digitized by Google

Pectunculites parvus capillaribus ſtriis notatus. fig. 29.

Pectunculitas voco hoſce Conchitas, authoritate *Liſteri* ſuffultus, quia auriculis ſunt deſtituti: conferri interim non obſtante auricularum defectu poſſunt cum *Pectinite minore ſtriis capillaribus donato Liſt. Cochl. Angl. Tit.* 50. Bivalves ſemper reperiuntur, propter valvarum inæqualitatem anomii, & aliquando circellis quibuſdam veluti faſciati.

Pectinites densè ſtriatus. fig. 30.

Sunt ſtriæ creberrimæ, & transverſis lineolis quodammodo exaſperatæ. Conferendus hic Conchita cum *Pectine minimo anguſtiore, inæquali ferè & aſpero, ſinu ad cardinem cylindraceo creberrimis, minutiſſimisque ſtriis donato Liſter. Cochl. Marin. Tit.* 31. Auriculis ſi careret, foret hic noſter ipſiſſimus *Pectunculites denſiſſimis, & minùs profundè inſculptis ſtriis donatus. Liſter. Cochlit. Angl. Tit.* 52. imò forſan hic ipſe eſt, quandoquidem non integrum invenit, nec etiam depinxit Liſterus, ſicu-

ti nec ipſe integrum poſſideo, talem tamen, in quo auriculæ veſtigia adſunt. Cæterùm bivalvis eſt ſemper, pulchrè rotundato margine, & ſubinde faſciatus circellis quibusdam ſubtilibus.

Umbilicus marinus lapideus. *fig. 31.*

Maſſæ lapideæ immerſus repertus in monte Legerio.

Conchites anomius roſtro prominulo, & veluti pertuſo donatus. Liſter. Cochlit. Angl. Tit. 46. *fig. 32.*

Non novus eſt hic Lapis, ſed *Liſtero*, aliiſque Rerum Naturalium Scriptoribus deſcriptus, *Fabio Columnæ de Purpur.* cap. 12. nomine *Conchæ rarioris anomiæ vertice roſtrato*; & *Conchæ gibboſæ* eidem in *Obſervat. Aquatil. & Terreſtrium rariorum*; *Luidio Lithoph.* n. 837. ſub Titulo *Terebratulæ vulgatæ ovalis*; *Wagnero Helv. Cur.* p. 307. vocatur *Conchita ſtriatus planus.* Ein glatter und geſtreim-

ſtreimter Meermuſchelſtein / quod nomen utpote minùs congruum mutavit in MSC. in *Conchitam vel Ctenitam faſciatum planum.* Inveniuntur aliquot hujus Lapidis ſpecies in Montibus Legerio, Randio, & in Comitatu Neocaſtrenſi ad Sionem fluvium, à Suchie, à Hauterive, & alibi copioſæ, quarum deſcriptionem accuratiorem in aliam occaſionem remitto; Unicâ rariori obſervatione hâc vice contentus, quòd ſcil. in Conchitæ hujus anomii utraque valva aliquando conſpiciantur maculæ albidæ, quæ Microſcopio ſubjectæ ſunt circelli tres, quatuor, quinque, ſex concentrici, affabrè veluti circino è centro medio exſculpti, in ejuſdem generis Conchitis Tubulisve ſeu vermiculis lapideis Baſileenſibus, & Belemnitis quandoque conſpicui.

Belemnites minor Cinereus Ari piſtillum referens. Luid. Lithoph. n. 1702. *fig.* 34.

Sicuti alii omnes Belemnitæ à latiori baſi deſinunt ſenſim in acutiem, ſicque

figuræ ſunt Conicæ, ita hic in medio eſt ventricoſior, ad utrasque extremitates tenuior, inſtar piſtilli Ari, quocum peroptimam comparationem inſtituit Luidius.

Belemnitas alios, uti & *Cornua Ammonis*, ac *Judaicos Lapides*, quotquot in Helvetia reperiuntur in totidem ſingularibus Diſſertationibus, Deo volente, pertractabo.

Neritites albidus planus. fig. 35.

Hoc *Neritit*æ vel *Nerit*æ *foſſilis* nomine venit hic Lapis, quòd intra duas fermè ſpiras finiatur, & è tenui mucrone in amplum primum orbem ſeſe expandat. Planus eſt, vel leviter ſtriatus, in Legerio monte inventus, conferendus cum Nerititis *Luidii Lithoph.* p. 19. nominatim autem, cum *Neritite minimo candido.* n. 315. & *Neritite majore ſpoliato Cochle*æ *formi*, *ſive Neritite cochleato ſabuletorum.* n. 318.

Digitized by Google

Aſtacopodium binis articulis invicem junctis conſtans. fig. 36.

Sunt cruſtacea rariora inter Foſſilia effigiata, & inter illa, quæ aliquot habent articulos. Aſtacopodia aliquot recondit Cimeliarchium Ashmoleanum in capſula XVIII. ſed nullum, quod binos habeat articulos, ut proin hoc noſtrum, è ſaxo quodam arenoſo prope Lithopolin ſito, & aliis quoque figuratis imprægnato erutum dignum in hocce Catalogo obtineat locum.

Siliculus ommatias. fig. 37.

In Sila fluvio repertus hoc ommatiæ cognomen meretur, quòd bulbi ocularis partem anteriorem referat, in nivea albedine pupillam nigram, quam poſt breve interſtitium cingit circulus alius niger. Conferri poteſt hic ſilex cum *Achate, in quo medius Onyx oculum referebat*, idcircò *Achatis Ommatiæ*, & *Onychophtalmi* nomine inſignito à *Velſchio Hecatoſt.* I. Obſ. 22. nec non cum *Leucophtalmis*, *Lycoph-*

cophtalmis, *Ægophtalmis* apud *Cardan. de Subtilit.* f. 290. In *Muſeo Septaliano*. p. 89. proſtat quoque *un' Agata Sardonica rappreſentante un' Occhio di Cavallo.*

Muſtricula, ſive Lapillus minutulum quoddam Calopodium referens. Luid. Lith. n. 1105. *fig. 38.*

Ignoſcet, pro ſuo erga ſtudium Lithologico curioſum affectu diligentiſſimus ejus promotor *Luidius*, quòd hoc ab ipſo mutuò ſumto nomine ſiſtam Lapidem, quem ipſe non depingi curavit. Fortiùs longè ſibi deviciſſet orbem curioſum Doctiſſimus Cimeliarcha Ashmoleanus, ſi hîc & in plurimis aliis locis figuras novis ſuis, & ſæpe vix ullâ conjecturâ hariolandis nominibus addidiſſet.

Tubulus foſſilis Cylindraceus. fig. 39.

Lapis eſt cylindricus, cinereus, transverſim rugatus, & in longitudinem ſulcatus,

catus,tubuloſus, ſeu per totam axis longitudinem perforatus. Conferri poteſt cum *Siphunculo cylindraceo ferruginoſo ſive Sabuletorum è ſiderita conflato* Luid. n. 1212.

Raja cauda foſſilis. fig. 40.

Fragmentum eſt ferè cylindraceum, bullulis minutiſſimis conſperſum,& ſeriebus prominentium tuberculorum ſeu aculeorum ſecundùm longitudinem diſpoſitis undique munitum; materia eſt Lapidi Judaico & congeneribus foſſilibus communis Selenitica.

Fluor cryſtallinus trigonus, ſtriis lateribus pyramidis cujuſque parallelis pulchrè notatus. fig. 41.

Cryſtallorum patria optimo jure dici poteſt Helvetia: Pateſcet id,ubi ad κρυϛαλλολογίαν Helveticam devenero. Nunc fluorem ſiſto in unam maſſam concretum, qui componitur ex pyramidalibus cryſtallulis plurimis, iisque ita inſuper ſtria-

ſtriatis, ut hedræ triangulares ſingulæ notentur lineolis illarum lateribus parallelis, quandoque etiam ab apice ad baſin deſcendentibus, ac ſi pyramides è totidem conſtarent lamellis.

MIrum eſt, & ſeu Diluvii univerſalis graviſſimus teſtis, ſeu Naturæ in editioribus Alpiũ Jugis Figuratricis certiſſimum argumentum, quòd in Altiſſimis Helvetiorum montibus reperiantur foſſilia varii generis Figurata. Attulerunt nuper curioſi quidam Naturæ emiſſarii ex Pilati montis cacumine *Pectinitas*, eleganter ſtriatos, & retulerunt, ingentia ibi reperiri ſaxa id genus Conchitis referta. Ex altiſſimis SUITENSIUM montibus, Muttſtein / Albrig poſſidemus etiam diverſi generis *Pectinitas* Chryſocollæ lapideæ immerſos, quorum deſcriptionem in aliam occaſionem reſervo, hac vice contentus Anatome exactiori Lapidis percurioſi, & à nemine hactenus deſcripti; cui Titulus:

Lentes lapideæ ſtriatæ, utrinque convexæ, vitreis figurâ ſimiles,

in

in maſſa Lapidea vario ſub ſchemate conſpicuæ.

Deſcripſi in *Diſſert. Epiſtolica de Dendritis, aliisque Lapidibus, qui in ſuperficie ſua Plantarum, foliorum, florum figuras exprimunt*, inſerta *Appendici Miſcell. Curioſ.* Ann. 1697. & 1698. p. 63. Lapidem *Frumentarium*, Idiomate Italico dictum *Ferr. Imperato. Hiſt. Natur.* L. 24. p. 579. *Pietra Frumentale, e naturalmente ſcolpita in figure di Frumento, e ſemi de' Legumi*, & cum hoc Lapide contuli *Folium Salicis Kircher. Mund. Subterr.* L. 8. p. 39. *Saxum* illud quod *ad Lutetias Pariſiorum diviſum Coronæ Laureæ ſpeciem reddidit*, cujus ex *Agricola* meminit *Geſſner. de Fig. Lap.* p. 129. *Lapidem valde elegantem variis rerum imaginibus perpulchrè admodùm à natura exornatum*, ex *Muſeo Calceolarii Sect.* 13. p. 317. 318. Conſului quoque antiqua Naturæ curioſæ monumenta, & apud *Plinium* inveni *Daphniam* (à Laurini folii figurâ fortè dictam) *quam Zoroaſtres morbis comitialibus demonſtrat. Hiſt. Natural. Lib.* 37. c. 10. Cum hoc Frumentario Lapide convenit Suitenſis noſter, quem

tunc

Digitized by Google

tunc temporis nondum vidi, quo Epiſtolam ad *Periandrum* citatam exaravi, cujuſque deſcriptioni nunc incumbo. Maximè autem,& ita congruit cum Calceolarii ſupra citato, ut vix ovum ovo ſimilius dici queat,nîlque in figura Calceolarii deſiderari poſſit, præter ſtriarum mox deſcribendarum diſtinctiorem expreſſionem. Exhibet namque Suitenſis folia Salicis, vel Lauri anguſtifoliæ, Frumentario Tigurino ſimilia, eáque nunc lævia, ſeu plana, nunc lineolis transverſis exaſperata, & nervo per mediam longitudinem excurrente diviſa, ſed inſuper alius generis folia,& foliola, diverſæ longitudinis & latitudinis, pulchrè, & ita ſtriata, ut ad centrum uſque figuræ ſeſe excipiant ordine lineæ peripheriæ parallelæ, ſicuti videre eſt in *fig.*42. Salicis folia ſi intueamur, *ſalicita* ſeu *Iteita* æquè ac Silæ fluminis noſtras nuncupari meretur; nec minùs congruum eſt,imò Suitenſi huic magis conveniens,cognomen Kümmichſtein/ Kümmelſtein / quod Ruſtici noſtrates dare ſolent. Ita namque primo viſui ſeſe offert maſſa lapidea Suitenſis, ac ſi ſeminibus

Fœni-

Fœniculi, Carvi, aliarúmque Plantarum umbelliferarum conſperſa foret. Nondum autem huc ſeſe terminat Relatio mea. Quòd ſi maſſæ Lapideæ vinculis dextrè liberetur, & ſibi ut ita loquar, reddatur vario ſub ſchemate ludens, & imperitis facilè imponens lapillus, patebit, eſſe Lentem utrinque convexam, ſeu è duobus ſphæræ ſegmentis compoſitam, vitreis prorſus ſimilem, excepto quòd in his ſuperficies ſit polita ſeu ſummi lævoris, & corpus uniforme diaphanum, in illis autem utraque convexitas ſit ſtriata, ſtriis à medio verſus peripheriam nunc rectà, [*fig.43.*] nunc, & plerunque arcuatim, & obliquè excurrentibus [*fig. 44.* Porrò notandum, Lentes noſtras lapideas non eſſe ſolidas, ut conſtent ex unica & uniformi maſſa, ſed conflatas ex 3, 4, 5, 6, 7, 8. pluribusve cruſtis itidem ſtriatis, & invicem ſuperinductis, quarum aliquando plures diſtinctè conſpiciuntur, ut in *fig.45.* Patet hinc in *fig. 42.* delineari Lentes per ſectionem perpendicularem dimidiatas, eſſeque ſtrias illas parallelas, ipſa cruſtarū veſtigia, de quibus inſuper notandum, illas aliquando

C per

per tranſverſas lineolas invicem colligari, ut texturam conſtituant ex ovalibus parallelis, & aliis à centro ad peripheriam tendentibus filamentis veluti reticulatam. *fig.* 46. 47. 48. Nondum autem hîc eſt curioſæ Anatomes finis; Exhibent Lentes noſtræ lapideæ, ſi dimidientur horizontaliter, duas lentes convexo-planas, ortas ex una convexo-convexa (*fig.* 46. 47.) & comparebunt in plana ſuperficie *ſpirales tractus ſerpentum inſtar in ſe convoluti, ſtriis inſuper minutis orbes hoſce itidem exiguos trajicientibus inſigniti, ita ut novum Cornuum Ammonis genus, idque orbibus ſeu ſpiris pluribus, id eſt ſeptenis, octonis, novenis præditum conſtituant.* Peto ipſiſſima hæc verba mutuò ex *Diſſ. cit.* ut eò facilius detegantur natales ipſorum tractuum ſerpenti formium in Frumentario Lapide Tigurino conſpicuorum, & horum cum Suitenſibus pateat conformitas. Subit, occaſione Lapidis hujus ob miram curioſitatem inter rariores ponendi memoriam, *Numiſmalis Lapis Tranſylvaniæ Cluſio* in *Nomenclatore Pannonico* notatus, qui in *Muſeo Brackenhofer.* p. 14. cognominatur *Silex circu-*
laris

laris alius, Ein anderer ſehr rarer Zirckel-ſtein: Krayßſtein. Hunc ubi propiùs aſpicio, eundem ferè cum Lentiformi noſtro Lapide eſſe firmiter mihi perſuadeo; Eſt quippe Numis malis Lapis convexo-planus, ex pluribus cruſtis conflatus, atque in plana ſuperficie ductus habet ſpirales ad undevigeſimum orbium numerum aſcendentes, per minuta filamenta colligatos, uti *fig.48.* exprimit. Forte huc etiam pertinent *Lapilli, ſeu aptiùs, cruſtulæ lapideæ, ob orbicularem formam, veluti nummos magnitudine varios, exprimentes; qui* Nummi di Bonino *appellantur incolis montis Bonini prope Suapium oppidum ditionis Veronenſ. Calceol. Muſ.* p. 328. Aſt, quoniam figura deeſt, & nummi de Bonino *punctis quibuſdam extuberantibus ſunt impreſſi*, quibus carent noſtri, certi nihil determinare audeo, & ſic in dubio quoque linquo *Numulum luteum vulgarem* Luidii Lithoph. n. 1763. qui *exiguus eſt lapis orbiculatus, ad collem* Cockerley Hill *dictum, in Comitatu Glaceſtriæ vulgatiſſimus.*

ABbundans admodùm eſt BASILIENSE Territorium Foſſili-

 bus

bus Figuratis, in Terra, & Aquis, ſpeciatim flumine *Birſa* reperiundis. Selectiora, quæ ſub conſpectum meum venerunt, ſunt ſequentia.

Aſtroites majoribus ſtellis.

Tribuitur *Aſtroitæ* nomen nunc marinis illis & tubulatis, aliquando etiam undatis productionibus, quæ ex Oceano Indico Muſæis Europæis inferuntur, nunc Aſteriæ columnari Entrochò ſimili, quam ſuprà deſcripſimus pag. 2. nunc Fiſſilibus lapidibus, qui in ſuperficie depictas gerunt ſtellularum icones. Heîc loci ſe ſiſtit lapis Siliceæ, marmoreæve duritiei ad fluminis Birſæ oſtium reperiundus, & ab ipſo aquæ fluxu lævigatus, qui jucundo & miro ſchemate exhibet in ſuperficie ſtellarum ampliorum, imò maximarum, quæ unquam repertæ fuerunt, veſtigia pulchrè radiata, quibus ſyſtema vorticum cœleſtium Carteſianus quiſpiam non ineptè repræſentare poſſit. *fig. 49.* Scriptores Rerum Naturalium ſi conſulam, invenio, hunc noſtrum ſimilem planè eſſe *Aſtroitæ tubulari*

ri

ri majoribus ſtellis Bocconi, quem Idiomate Gallico vocat *Pierre Etoilée avec les etoiles amples*; item *Pierre etoilée marquée de grands pores rayonés coraloides*, dans ſes *Recherch. Naturell.* p.119. cum hac tamen differentia, quòd Bocconianus ſeu ſiculus Aſtroita, ſicuti & Tyrolenſis ſint manifeſtè tubuloſi, ſtellulis totum lapidem permeantibus inſigniti, leviores etiam pondere & poroſiores, noſter autem Baſileenſis ſit tam ſolidus atque compactus, ut interioribus ſui partibus nulla ſtellarum tranſeuntium veſtigia exprimat, illásque in ſummâ duntaxat ſuperficie lævigatas repræſentet. Siſtit tamen *fig.* 50. fragmentum manifeſtè tubuloſum, tubulis ad certam profunditatem excavatis, & ſtructuræ interioris ſtellularum laminatæ veſtigia clariſſima exhibentibus, quòd ſanè fragmentum manu nos ducit ad conformitatem, quæ inter Siculum, & Helveticum Aſtroitam intercedit, agnoſcendam. Soliditatem quod attinet, & materiam, non eſt ea in Siculis Aſtroitis una ſemper & eadem, ſunt aliqui friabiles fermè, poroſi, quibus tubuli ſponte excidunt, alii ad cryſtallinum

 fluo-

fluorem accedunt, alii tandem marmoris duritiem exæquant; In *Luidii Lithophylacio* in venio n. 158. *Porpitæ aliquatenus affinem Radiatulam, Wiltoniæ in Sabuleto Cracladienſi* repertam, quæ *Porpitarum plurium monſtroſa quædam congeries* ipſi, mihi Aſtroita amplioribus ſeu majoribus ſtellis noſtrati ſimilis videtur. Sic quem idem Angliæ curioſæ luſtrator expertus p. 122. nominat *Lithoſtrotion*, *ſeu Baſaltem minimum ſtriatum*, atque *Tab.* 23. depingit, huc quoque referendum eſſe exiſtimo. Nondum autem hîc ſeſe terminat Aſtroitæ Baſileenſis deſcriptio; Novæ inſuper ſunt addendæ, & aliis, quantum quidem mihi conſtat nondum memoratæ, obſervationes, viſu & ſcitu digniſſimæ. Faciei illi vel planitiei, quæ Aſtroitam ipſum ſeu ſtellarum icones *fig.* 49. ſiſtit, oppoſita eſt in eodem ſæpe lapide alia, nunc priori parallela, nunc in conicam abiens figuram, quæ præter Tubulos, ſeu Vermiculos nivei candoris lapideos ſtrias exhibet cometiformes à lapidis medio verſus peripheriam expanſas ſcoparum in modum, ſicuti *fig.* 51. exprimit. Hoc tam ſpecioſum ſchema

ma non ante audeo novo baptizare nomine, quàm plures fecero obſervationes; in deſcriptione itaque rudi & delineatione ſimplici contentus ſubſiſto, ne præcipitanter nimis, quòd contingere facilè ſolet, videar ὀνοματοποιεῖν.

Aſtroites minoribus ſtellis. fig. 52.

In eodem flumine Birſa repertus ſtellas habet minores, rariores, & elevatiores paulò ultra planam ſuperficiem albóque circulo medullam continet nigram.

Aſtroites minimis ſtellis. fig. 53.

In hoc à præcedentibus differt, quòd ſtellulas habeat longè minores, & densè poſitas.

Cometites. fig. 54.

Radios habet non tam in circulum diſpoſitos, quàm in longitudinem à capite ſtellæ, veluti cometæ nucleo protenſos, ſicque caudam quoque referentes. Con-

ferri poteſt *Cometites Velſchii*, quem ita nominat *Hecatoſt. I. Obſ.44.* & depingit *pag.16.*

Hammites Plin. *fig.55.*

Ovis piſcium ſimilis eſt, & alia [al. atra] *velut nitro compoſita, prædura alioquin. Hiſt. Nat. Lib.37. cap.10.* verbis hiſce Plinianis, ut melior conſtaret ſenſus, loco, *& alia velut nitro compoſita*, legit *Laet. de Lapid.* p.145. *& tota velut arenis compoſita.* Sufficit mihi prior interpretatio, quâ & noſter, Baſileenſis in Birſa flumine reperiundus, & omnis alius Hammites *ovis piſcium ſimilis eſt.* Integram & diffuſam hujus Lapidis deſcriptionem ex variis Authoribus colligere, & huic loco inſerere in congruum judico, unicum tamen profero textum ex *Geſſnero* noſtro *de Figur. Lap.* p.72. quòd Hammitæ Baſileenſi prorſus conveniat: Ita autem ille de Hammite à Kentmanno Dreſdenſi ſibi miſſo: *Videtur totus quaſi ex arenulis rotundis conflatus, ideóque ovis piſcium ſimilis, quæ recentiores quidam arenida cognominârunt, hoc eſt, ψαθυρὰ & friabilia. Confriatur autem & reſolvitur facile hic quoque lapis*

pis in arenulas, ſive granula, è quibus conſtat, quæ quidem ſingula prædura ſunt, inſipida, & inodora. Synonyma, quæ huic Lapidi è minoribus ſcil. ovulis conſtanti, (nam qui majoribus conſtat ovis, Piſolithus, vel Orobias, non eſt præſentis conſiderationis) competunt, ſunt Rogenſtein/ Ragenſtein/ weil er dem Fiſch-Rogen ähnlich ſihet; *Meconites*, quia *papavera* [id eſt, papaveris ſemina] *exprimit Plin. l.c. Cenchrites milii granis velut ſparſis*. id. L. 37. c. 11. Magis adhuc meretur *Cenchritæ* nomen *Hammita* Baſileenſis, quando *granis Milii, quæ ad maturitatem pervenerunt, in colore flavo, magnitudine & forma, arenulas* ſimiles habet: verbis utor & authoritate *Andreæ Chiocci* in *Muſ. Calceol.* p. 316. Notandum adhuc circa Ammitam Baſileenſem, non eſſe ei unum duntaxat, & flavicantem colorem, ſed & album, imò niveum, & ſubrubrum, & ſubcœruleum. Nec ſemper friabilis eſt & ita diſtinctus, ut globuli ſeu ovula ſingula ab invicem diſcerni & ſolvi queant, ſed haud raro ita confuſus, & in ſolidam, duram maſſam coagmentatus, quæ ſilicem non figuratum primo aſpectu refert.

Hammitam noſtrum dimittere non ante poſſum, quàm mentionem fecero *Hammitæ flaveſcentis coloris* pulcherrimi, quem in Raurica valle (Frickthal) circa pagum Zerznach collegi in Agris Anno 1700. menſe Junio; & alius *Hammitæ ferrei* in eadem valle etiam pulcherrimi, qui venas illas ferri divites pagi Wölfflisweyl / conſtituit, & *Meconitæ* vel *Cenchritæ* nomen potius, quàm Hammitæ meretur, quia è granulis componitur non ſphæricis, ſed compreſſæ rotunditatis.

Siliculus Strombites. fig. 56.

Lapillus eſt candidus ſubſuſcis atque ſpiralibus zonarum tractibus à baſi ad apicem tendentibus ſtrombum pulchrè referens, ex Birſa fluvio.

Nux Moſchata lapidea. fig. 57.

Silex eſt ſubſphæricus albidus ab uno apice ad alterum ſtriatus, nucem Moſchatam non obſcurè referens, ex eodem fluvio.

Bran-

Branchiali congener Colnmellus ſtriatus, ſive Bryoniæ Radix lapidea Plotii. Luid. n. 120. *fig. 58.*

Servavi hoc Luidii nomen in deſcribendo foſſili Corallino, quod ubi ramoſum eſt referri poſſet ad *Madreporam verrucoſo punctatam Tournef.* quæ eſt *Corallium album verrucoſum punctatum* C.B. *Corallum album punctatum Imperat.* aliâs à tenui baſi ſenſim craſſeſcens ficum non obſcurè refert, hinc *Ficoidis* nomine à me donatum. Strias habet in baſi à peripheria ad centrum undique protenſas, & ſecundùm totam longitudinem ſuperficiei decurrentes, & intimam etiam ſolidámque ſubſtantiam penetrantes: In magnitudine & craſſitie variat. Conferri etiam poteſt hic Lapis cum *Alcyonio tuberoſo formâ fructûs alicujus Ficûs* ſuprà deſcripto, & *fig. 20.* delineato.

Belem-

Belemnita truncatus polymitus. *fig.59.*

Variis eſt figurarum tractibus in ſuperficie exornatus, ex fl. Birſa.

Nux Vomica lapidea. fig.60.

Ex Birſa fluvio allatus Lapis eſt compreſſæ rotunditatis utrinque convexus, à centro verſus peripheriam ſubtiliter & densè ſtriatus, illi ferè ſimilis, qui extabat in *Muſeo Brackenhofer.* ſub eodem *Lapidis Nuci Vomicæ ſimilis* titulo p.10. Ein Stein den Kräyen-äuglein ganz gleich; & nunc ſuâ præſentia ornat Muſeum Civicum Tigurinum; cujusve iconem hîc ſiſtere volui.

Silex reniformis, ſtricturâ per medium diviſus. fig.61.

Ex eodem fluvio Phaſeoli etiam fructum grandiorem refert.

Tubulus foſsilis albus. fig.62.

Ex eodem fluvio Lapillus eſt Cylindri-

dricus lævigatus per totam axeos longitudinem nigricante medulla repletus, quem omninò conferendum puto cum *Tubulis vermicularibus* primi generis *Bonannï*, *Recreat. Ment. & oculi.* p. 92. qui ſilicibus Birſæ fluminis tum figuratis, tum vulgatis, ſæpiſſimè inſident, tum in rectum protenſi, tum & plerunque variè inflexi.

Siliculus rarior Crucifer. fig. 63.

In candido hocce lapillo conſpicitur linea obſoleta ferè nigricans, quam interſecant aliæ ſex, gradatim minores.

Cranioides. fig. 64.

Novum hunc Titulum approprio Lapidi in Agro Baſileenſi reperto, qui Cranii ſupernam partem vel etiam Cerebrum, meninge dura adhuc in veſtitum apprimè refert; Eſt namque convexus, ſubrotundus, ex antica tamen parte anguſtior, lævis, coloris ſubflavi, lineâ nigrà, (quæ ab antica parte ad poſticam, à fronte ad occiput rectà excurrit

rit, ſicque ſuturam ſagittalem, vel ſinum longitudinalem exprimit) in duas præcisè partes interſtinctus, inſuper lineolis quibusdam nigricantibus veluti totidem venulis notatus, & ſinus lateralis dextri non obſcura veſtigia ſiſtens; verbo, calvariam diceres, vel cerebrum ex ſumma parte reſectum.

Strigoſula major raſtellata, ſeu Liſtronites condicta. Luid. n. 550.

Striguloſæ & *Liſtronitæ* ſtrigoſis ſæpe terminis, Luidii authoritatein Hiſtoriam Lithographicam inductis utor ad denominandum Conchæ foſſile genus profundis, & raro ordine diſpoſitis ſulcis exaratum, è fluvio Birſa ad nos delatum, & hactenus nonniſi in fragmentis (*fig.* 65.) repertum, excepto unico minore, quod *fig.* 66. exprimit, craſſum eſt & gibboſum, cavitate γληνοειδῆ, ſeu leviter ſinuoſa præditum referendum fortè ad *Strigoſulam minorem vulgarem* Luid. n. 545. & 551.

Entro-

Entrochus verrucoſus. fig. 67.

Ex plurimis Entrochorum in Birſa reperiundorum ſpeciebus unicam ſiſto, verrucis undique exaſperatam, cui proin verrucoſi cognomen tribuo; cinerei eſt coloris, ſex conſtat Trochitis. *Nodoſa* vocat, nî fallor, *Luidius* Entrochorum id genus ſpecimina. In ſpecie autem huc traho *Entrochum cylindraceum nodoſum ſeu geniculatum.* n. 1135. *Liſt. Act. Phil. Lond.* n. 100. fig. 6. & *Beaumont.* n. 150. fig. 22. item *Entrochi ſpecimina clavellata, ſeu tuberculoſis rotulis conſtructa. Luid.* n. 1145.

Silex Cardites. fig. 68.

Ita hic Lapis cordis figuram exprimit, ut etiam ventriculi bini, eorúmque figura ſatis aptè diſcriminentur. Ex Birſa.

Lepas lapidea. fig. 69.

Ita vocatur mihi fragmentum Lapidis in Birſa repertum, ſtriis à vertice (violenter compreſſo) ad baſin circularem undique deſcendentibus inſtructum,

Digitized by Google

ctum, Patellarum in modum, qui Lepades, λεπάδες Græcis appellantur. Bina *Patellariæ* ſeu *Patellæ foſſilis* ſpecimina exhibet quoque *Luid.* n.436.437. Cæterùm notari meretur, non obſcuram habere convenientiam Lepadem noſtram cum *Plectronite maximo ſeu Roſtragine maxima Luid.* n.1318. item cum *Plectronita majore altiuſculè ſtriato mucrone obtuſo.* n. 1325. Difficultatem relationis ad Patellas factæ auget, quòd patellæ marinæ ſint ad apicem uſque concavæ, hæc foſſilis autem ex uno ſolido conſtet lapide, & ſtrias habeat in omnibus planis cum baſi parallelis à centro ad circumferentiam tendentes.

PLura Randii montis in Territorio SCAPHUSIANO ſiti foſſilia figurata recenſere poſſem, ſi ex Legerianis aliqua huic loco reſervare placuiſſet; De convenientia autem omnimoda fermè Figuratorum utriuſque montis ab initio hujus opuſculi actum. Hâc vice unicum commemoro, idque rarum Conchæ foſſilis genus, cui Titulus

Con-

Conchula foſſilis echinata.

Parvula eſt, nec major, quàm *fig.70.* exprimit, plerumque univalvis cava, rarò bivalvis, rugata, oſtreo parvo ſimilis, unde forſan *Limnoſtrita* audit Scaphuſienſibus, ſed inſuper echinata, aculeis depreſſis, non abſimilis *Conchæ Hiſtricinæ*, quam depingit *Boccone Recherch. Naturell.* p. 304.

Selenita Rhomboidalis.

EX crypta Montis ABBATISCELLANORUM præalti *Camor* vel *Gammor*, 128. minimùm pedes longâ transmiſit nuper pro ſuo erga me, & Hiſtoriam Helvetiæ Naturalem affectu Rever. atque Doctiſs. Dn. *Joh. Henricus Fæſius*, Paſtor Palæopolitanus apud Rheguſcos, *ſeleniten Rhomboidalem*, quem figura non minus quàm raritas atque pulchritudo commendat, digniſſimum omninò, cui in Prodromo hocce Lithologiæ Helveticæ honoratior concedatur locus. Non equidem novum eſt *Selenitæ Rhomboidalis* nomen, ſub hoc ipſo titulo

meminit hujus Lapidis *Steno* in *Prodr. Diſſert. de ſolido intra ſolidum.* p.79. à quo appoſitè ita definitur , quòd *corpus ſit rhomboideum, & in alia corpora Rhomboidea iterum reſolubile.* In D. *Grew Muſeo Societ. Reg.* nominatur *Cryſtallus Talcoſa.* Siſtit *Luidius Lithoph.* n.21. *Lapidem ſpecularem teſſellatum, Haloteſſera* ipſi dictum ; & n.76. ad 80. ipſius *Selenitæ Rhomboidalis* aliquot ſpecimina. In Corſica vidit quoque ſpecularem noſtrum *Boccone Muſ. di Piant.* p.159. Referri huc forſan debet *Rhombites Agricol.* Lib. V. de *Nat. Foſſil.* cujus hæc ſunt verba: *Ibidem* (ad Hasdam pagum) *reperitur Rhombites magnitudine Caſtaneæ, vel Nucis juglandis, candidus, undique plenus ſquamis parvis eminentibus, utrimque obliquis, unde Rhombi ſpeciem gerunt, quæ lapidi nomen dedit. Quin alterius generis Rhombites reperitur in Galgebergo: Is longus eſſe ſolet digitos ſex , latus duos, craſſus unum ; ipſi figura eſt cylindri compreſſi, ſed ſtriæ tam inferioris , quàm ſuperioris partis , ita ſe interſecant , ut plures in earum medio fiant eminentiæ , quibus omnibus item Rhombi eſt figura.* Communiter etiam notus eſt hic Lapis nomine *Cryſtalli Islan-*

landicæ, quippe ſingularibus tractatibus hoc titulo deſcriptus ab *Eraſmo Bartholino*, & *Chriſtiano Hugenio*. Non infrequens eſt Specularis Rhomboidalis apud nos, ſed paſſim in Helvetia reperiundus; Aſt nullibi in tanta copia, tanta diaphaneitate, ſplendore & pulchritudine invenitur, quàm in Abbatiſcellanorum citata ſpelunca; tam ſingularia inſuper & rara offert phænomena, quæ peculiarem omninò recenſionem, attentionémque merentur, & fortè non exiguam geneſi eruendæ afferunt lucem. Præmittam, quæ in literis ſuis d.29. Aug. 1701. ad me ſcripſit Rev. donator, & dein obſervata quædam propria addam. Ita autem ille: *Ingentem ſpelunca hæc admirabilis atque ſtupenda profert copiam Lapidis ſelenitæ Rhomboidalis, cujus fragmenta aliquot transmittere volui; decutiendus eſt lapis iſte magnâ vi, ope ſecuris, obſervavi etiam illum, quò magis pellucidum, eò eſſe duriorem. Longiùs quò progreſſus ſum, deprehendi duriorem, perfectiorem, magiſque ſplendeſcentem, ut nullus dubitem, quin ultra progredientes eum reperturi ſint omni cryſtallo magis nitidum. Prominet iſte lapis circumquaque, ac cortice ple-*

rumque obductus eſt, ut ego quidem exiſtimo, è luto & aqua petrificato. Solis radiis expoſitum, & inde calefactum cum crepitu diſſilire nuper in ædibus meis vidi atque audivi. E figuratorum Lapidum numero non tantùm non eſt excludendus hic noſter, ſed omnibus aliis anteponendus, hâc quippe inſigni prærogativâ gaudens, ut quam in toto ſiſtit figuram Rhomboideam, in minimis etiam Microſcopio ſubjectis particulis conſtanter poſſideat. Plerumque equidem eſt in diaphaneitate obſcurus, & maculis infectus, qui radios non, vel refractè transmittunt, reperias tamen fruſtula præſertim minora, quæ pelluciditate ſuâ cum optimis cryſtallis certant. Hoc aliquando habet præ omnibus, quotquot hactenus vidi, ſelenitis peculiare, quòd in ipſa diaphaneitate ſua venis nigris angulatim proſerpentibus ita ſit notatus, ut tractus hi obſcuri atque nigricantes acceſſus ſeu adductus anfractuoſos, qui Architectis Lauffgräben vocantur, non ineptè referant. *fig.71.* Exhibet *fig.72.* fragmentum columnis Rhomboidalibus obliquo ſitu impoſitum, cujus venæ repræſentant

Tym-

Tympanum Superliminari impoſitum, (quod Galli Architecti un *Fronton*, Germani Giebel vocant) & ſimul oſtendunt, quàm non ſemper ſint plana Rhomboidalia in eodem parallelo, ſed quandoque angulatim & obliquè concreta. In *fig.* 73. exhibetur Rhombus digiti altitudine & craſſitie, ſummè diaphanus, è cujus fundo aſcendit nebula. Aliud proſtat fragmentum bullulis velut aëre in media ſuâ ſubſtantiâ repletum. Cortex ille rudior & crudior, qui Selenitem noſtrum Rhomboidalem obtegit, conſtat ex terra cruſtoſa, petrefacta illi ſimili, quæ ſtalactitas conſtituit.

COmmendat NEOCASTRENSEM Comitatum multiplex rerum ad vitæ uſum inſervientium abundantia, ſed & tam copioſa Foſſilium Naturâ Figuratorum productio, ut hâc in parte facilè palmam omnibus Helvetiæ Provinciis præripiat. Taceo nunc *Cornua Ammonis* diverſæ materiæ & coloris, lapidea, ferreâ, orichalceâ armaturâ ſplendentia, ornamentis inſuper foliaceis ſuperbientia, hæc quippe alibi deſcribenda

obvenient: Prætereo *Conchitas* tam planos, quàm ſtriatos, univalves ac bivalves, integritate ſuâ ac nitore, pleriſque quot hactenus vidi præcellentes; Mentionem non facio *Cochlitarum*, *Nautiloidum*, *Echinitarum*, aliorúmque Lapidum in Diſtrictu Neocaſtrenſi reperiundorum. Atque ſpeciminum loco ſelectiora duntaxat ſiſto foſſilia, ut eorum intuitu alliciantur tum Neocomenſes ipſi admiranda hæc Naturæ diligentius porrò inveſtiganda, tum alii certiores reddantur de Helvetia curioſa.

Conchites ab uno cardinis latere breviſſimus, ab altero longiſſimè excurrens, ſtriatus.

fig. 74.

Cinerei eſt coloris, bivalvis, ventricoſus, à cardine ad oram ſtriatus, transverſam longitudinem haberet latitudinis vel altitudinis triplam, ſi integer eſſet; non alium autem hactenus, quàm mutilatum vidi. Marinas Conchas ſi conferam cum Conchita noſtro, occurrit

rit *Balanus Bonann. Recreat.* n.25. p.101. vel potius adhuc *Concha* vera Plinii apud *Aldrov. Teſtac.* L.3. c.47. quam depingit *Jonſton* de *Exang. Aquatic.* Tab.XIII.

Chama foſsilis. fig.75.

Alius hic eſt à *Chamite Luidii* n.768. Non enim Chamæ nomen tam latè ſumo, ut notet conchas omnes, quarum teſtæ ſubtiles, & læves, ſed ex *Aldrovandi* præſcripto, eas, quarum oræ non perfectè ubique conjunguntur, quæque diverſimodè ſunt cavæ, & ſinuoſæ, cui interpretationi ſubſcribit *Bonannus Recreat.* p.105. atque n.56. depingit Chamas noſtris lapideis ſimiles. Poſſident Neocaſtrenſes illum inſuper perfectionis gradum, ut muſculorum veſtigia, quibus ſcil. mediantibus conchæ adhæſit animal, expreſſa habeant in cavitate interna.

Conchæ margaritiferæ foſsilis fragmenta.

In altiſſimis Neocaſtrenſis Comitatus

Digitized by Google

tus montibus reperiuntur maſſæ ex Teſtis diffractis compactæ, quas Concharum margaritiferarum eſſe in his oris depoſitas reliquias, colligo ex fragminum craſſitie, magnitudine, lævore, ſtratorum ſitu, ſpecialem autem notam characteriſticam præbet fragmentum *fig. 76.* delineatum, quod cardinis ſeu roſtri particulam eſſe colliget facilè quivis ex collatione Conchæ alicujus grandioris margaritiferæ. Extendit id ſeſe ab a ad b, ut adeò bc ſit à ſculptore ad complendam roſtri conchæ margaritiferæ figuram ſuperadditum.

Concha lapidea curvi roſtra rugoſa, & tuberculis quandoque munita, dorſo elatiori. fig. 77.

Foſſile eſt magis minúsque rugoſum, univalve, cavum, prominentiis acutioribus aliquando inſtructum, roſtro adunco, eóque extrorſum recurvo præditum, ſtrata laminarum, è quibus conſtat, pulchrè exhibens, dorſo elevatiori ſeu

ſeu gibboſo, ad ſiniſtram convexo, in dextro autem latere ſinu concavo prææditum, & maculis albidis circelli formibus per totam ſæpe ſuperficiem notatum. Exiſtimo hunc noſtrum lapidem *Luidio* vocari *Curviroſtram rugoſam clavellatam majorem*, num. 700. nondum tamen propter figuræ abſentiam, explicationisve defectum, quem in ipſo Lithophylacio Brittannico forſan emendabit Auctor, abſolutè id affirmare auſim. Potius congruit foſſile noſtrum cum *Nautili* ſpecie nova, quam ex Amboina Clar. *Chriſtiano Mentzelio* miſit curioſiſſimus Naturæ Orientalis Indicæ perſcrutator *Rumphius*. Miſc. Nat. Cur. A. 1690. p. 120.

Conchita curviroſter minor lævis. fig. 78.

Conferatur cum *Curvi roſtra elatiore minore cuneata* & *ſpoliata*. Luid. n. 730. 731.

Digitized by Google

Conchita bivalvis Curviroſter ſtriis obliquis craſſioribus veluti coſtis donatus.

fig. 79.

Singularis eſt hic Lapis à *Hauterive*, & in rupibus fluvii *Sionis* reperiundus, ab uno cardinis latere rotundatus, ab altero incurvus, ſtriis nec rectà à cardine deorſum, nec transverſim, ſed obliquo ductu à cardine ad oram latis. Conferri debet cum *Curviroſtra Luidii*. n. & fig. 707. Tab. 9.

Auris marina foſſilis. fig. 80.

Foſſile hoc tantò lubentiùs Catalogo præſenti infero, quòd nemini hactenus ex Lithologis ſit memoratum, excepto *Luidio* in *Lithoph*. p. 124. qui tamen nuſquam in Anglia hactenus inventam fuiſſe aurem marinam, vel concham Veneris fatetur; adſtipulante *Plotio Hiſt. Nat. Oxon. cap. 15. par. 103.*

Strom-

Strombitæ majoris ſecundùm longitudinem ſtriati ſpira. fig. 81.

Liſtero vocaretur Buccinita ſtriatus figurâ productiore, ſtriis notatur à baſi ad apicem deſcendentibus, nunc planioribus, nunc in tuberculorum ternas ſeries elevatis, ſpiras habet latiores, fuſcâ ſplendet armaturâ, nondum tamen hactenus niſi in fragmentis ad nos delatus. Illud rari inſuper habet, quòd impreſſionibus ſive ſuturis foliaceis alibi deſcriptis, & porrò deſcribendis, in Cornibus Ammonis paſſim obviis aliquando pulchrè exornetur. Cæterùm infarcitur maſsâ arenosâ, duriùs tamen compactâ, & nigris punctulis conſpersâ.

Ceratoides articulatus, ſtriis transverſis undatus, & ornamentis foliaceis inſignitus. fig. 82.

Rarus & mirus eſt hic Lapis, ejuſdem

dem cum præcedenti materiæ & coloris, *Ceratoidis* nomine à me inſignitus, quia à latiori baſi ſenſim coni ad inſtar anguſtatur, ita ut tandem, quantum ex fragmentis ad nos delatis colligere licet, in cuſpidem deſinat; porrò autem ſtriis transverſim undatis notatur, quæ quidem non ambitum integrum cingunt, ſed nunc dimidiam ſolùm, nunc tertiam partem, reliquâ manente lævi, aliquando etiam à tuberculis incipiunt, indéque bifurcatim divergunt, in oppoſito tamen tuberculo rurſus cœunt. Inſuper notandum, quòd aliquando (non ſemper) ſuperficies exornetur ejuſdem generis & figuræ foliaceis impreſſionibus, quæ in præcedenti quoque lapide adſunt. Exprimunt articuli crucem Melitenſi non multùm abſimilem (*fig.* 84.) brachiis ſeu ramis ad extremam peripheriam bifurcatis. Ut hinc *Ceratoides* noſter etiam inter *Crucigeros* lapides referri poſſet. Inveniuntur articuli plerumque ſingulatim, ſeu ſoluti, rariſſimè conjuncti, & aliquando ita ſunt quoad figuram diſtorti, ut vix niſi ex aliorum collatione cognoſci poſſint. Similem Ceratoidi noſtro

ſtro lapidem hactenus nemo Scriptorum mihi obtulit, niſi fortè huc trahi poteſt *Aſtropodium multijugum, ſive Loricatum cinereum Septentrionalium Luid.* n. 1106. quod pro *Encrino cinereo Lachmundi.* p. 57. 58. agnoſcit.

Echinites Spatagoides, vel Briſſoides bullatus & ſtriatus. fig. 84.

Echinum Spatagum vel Briſſum refert ſubcinereus lapis, figurâ eſt oblongo-rotundus, baſi complanatâ, verſus apicem convexus. Ab apice ſummo deſcendunt duplici lineolarum transverſarum ſerie quinæ ſtriæ, quæ tamen prope marginem abeunt in ſimplices punctorum prominentium ordines. Series quinta viam quærit per ipſum lapidi medio inſculptum ſinum veluti binis natibus interjectum (qui *modiolus* & *umbilicus* à quibuſdam vocatur, adnotante *Liſtero* ad Tit. 26. & *ombriæ natiformis* nomen huic foſſili dedit apud *Wagnerum. Helv. Cur. MSC.*) & è regione hujus ſinus

etiam

etiam in parte lapidis convexa ſuperiori conſpicitur foramen rotundum, ſicuti in baſi aliud apparet foraminis veſtigium, haud longè à termino illo, ubi quinæ coeunt ſtriæ. Reliquam Lapidis ſuperficiem conſperſam videas crebris punctis ſeu bullis ultra lævem ſeu planam ſuperficiem paulùm prominentibus. Magnitudine idem plerumque eſt, nucis juglandis majoris circiter, quam tamen nunc excedit, nunc infra eam ſubſiſtit. Notari inſuper meretur, quòd rarus hic alibi terrarum hoſpes frequens ſatis ſit in comitatu Neocaſtrenſi, nempe in rupibus ad fluvium *Sionem*, à *Souchie*, à *Hauterive*, à *Priſe* in Terra pingui alba vel ſubcoerulea. Conferri interim cum foſſili hoc Neocaſtrenſi poſſunt & debent *Spatagoides Merrett. Pin. Rer. Britt.* p. 215. *Echinites quinis radiis è duplici ſerie transverſarum lineolarum conflatis*; & alius *præter quinas ſtrias annulis exiguis innumeris inſignitus. Liſter. cochl. Angl.* Tit. 26. 27. potius adhuc *Echinites præter radios, & annulis duplicatis inſignitus.* ejuſd. Tit. 28. porrò *Echinites cordatus vulgaris, ſeu Echinum ſpatagum, vel ovum marinum noſtra-*

ſtra-

ſtratium referens, *quinis incilibus donatus. Luid.* n.964. *Echinus ſpatagus*, quem *petrefactum* invenit in Inſula Malta *Boccon. Recherch.* p.264.

Echinometræ digitus foſſilis ſtellulis undique exornatus. fig. 85.

Rarum hoc, & nunquam hactenus deſcriptum foſſile Echinometræ digitum ſive aculeum voco, non tam propriâ, quàm clariſſimorum Virorum *Chriſtiani Mentzelii*, & *Rumphii* auctoritate motus, quorum icones *Miſc. Nat. Curioſ.* A.1690.p.119.inſertæ conferri poterunt. Aliâs ad Judaicorum Lapidum & Aſtroitarum Claſſes pari jure referri poteſt; ut hinc dubius hæſitaverim, num *Aſtroitæ olivæ-formis* Titulus convenientior eſſet; maximè, quia materia, quâ conſtat lapis, eſt Silicea, non, ut omnium lapidum Judaicorum, Selenitica. Figuræ eſt oblongo rotundæ, quæ à tenuiori initio ventricoſior fit, ſuperficiem habet ſtellulis plurimis ultra planam ſuperficiem modi-

modicè elevatis, aliquando etiam ſtriis inſignitam, nunc in longum protenſis, nunc transverſis, plerumque obliquis.

Tubulus marinus foſſilis parvus Cornu Ammonis inſtar in ſeipſum revolutus. *fig. 86.*

Lapillus eſt exiguus, albidus, vel cinereus, ſubtiliter ſtriatus, nunc ex utraque, nunc ex altera tantùm parte ad umbilicum cavus, nunc etiam in centro perforatus. Magnitudine variat, à Lenticulari tamen figura non ultra Phaſeoli magnitudinem aſſurgit. Spiræ per totam circumvolutionem ſunt vel actu excavatæ, vel aliâ materiâ tanquam medullâ ſuffarctæ. Variat quoque orbium figurâ & diſpoſitione, dum alii teretes ſunt, anguloſi alii, alii recto ductu in ſe contorquentur, dum alii obliquo feruntur tractu, & ab ipſo umbilico aberrant, atque tunc propius accedunt ad Cochlitas. Inveniuntur quidem in Comitatu Neocaſtrenſi paſſim *Vermiculi marini ſub Alcyo-*

Digitized by Google

Alcyonii vermicularis nomine ſuprà deſcripti, qui tamen raró in ſe contorquentur, ſed variis ſuis flexibus ſerpentum aut vermiculorum figuram imitantur, ut hinc novum Titulum promereri hoc foſſile mihi quidem viſum fuerit. Repeiuntur id genus lapilli ad *Sionem* fluvium, à *Hauterive*, *Priſe* in argilla pingui ſubcœrulea, item ad littus *Neocaſtrenſis Lacus*, quorſum ductu fluviorum deferuntur. *Wagnero* in *ſupplementis ad Helv. Curioſam* MSC. vocatur hoc foſſile *Cochlites rugoſus*, deſcribitúrque, quòd ſit *lapillus ſubalbidus, duarum ſpirarum, inſtar Cornu Ammonis rugoſus, circa umbilicum ex utraque parte cavus.* Quàm rectè autem Cochlitæ nomine veniat, judicium eſto penes peritos.

Cancri Moluccani fragmentum foßile. fig. 87.

Merebatur cruſtaceum hoc, & qui inſuper deſcribendi reſtant, Lapides, non ultimum, ſed omnium primum locum, tum propter raritatem, cujus intuitu monadici ſunt, tum propter Poſſeſſorem

Digitized by Google

ſtrem atque Magnificum D. *PETRUM VALKENIER*, Præpotentum Belgii Ordinum ad Reſpp. Helv.& Rhætic. Ablegatum Extraordinarium, Virum in literatura omni, ſpeciatim hac curioſa, verſatiſſimum. Cancri Moluccani fragmentum omninò mihi videtur rarum hoc foſſile, & illius quidem referre chelam ſeu ſcutum anterius, prouti dextrum latus obtegit. Eſt namque ſuperficie lævi, margine ſerrato, cinerei eſt coloris, & obtegit ſaxum arenarium durius compactum ſubflavum, nigricantibus punctulis conſperſum.

Caudæ cujuſdam Animalis foſſilis fragmentum. fig. 88.

Rarum hoc ſpecimen nondum, quod ingenuè fateor, ad ſuum genus referre potui, ſeu, nondum determinare, cujusnam Animantis ſint hæ reliquiæ, an Rajæ, vel alius Piſcis; Caudæ fragmentum tamen vel ſpinæ dorſalis partem, eſſe conjicio, ex foramine rotundo, quod per totum corpus tranſit, & dubio procul medullam ſpinalem transmiſit. Quid

Digitized by Google

Quid ſibi velint pectinatæ in utraque ſuperficie conſpicuæ ſculpturæ, Lectori curioſo, Naturæ conſulto, determinandum relinquo.


Fructum quendam exprimens Lapis metallicus. fig. 89.

Et hîc Oedipo opus habeo, qui definiat, qualis ſit fructus huic Lapidi analogus, ab apice ad baſin ſulcis exaratus, & prominulis punctis, ad imum marginem veluti in corona diſpoſitis notatus. Non ſolùm armaturâ æneâ obducitur hoc foſſile, ſed totus metallicus, vel pyrites videtur, quantum expondere judicare licet.

F I N I S.

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts


Digitized by Google



VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des A

Digitized by Google


8. Raudin et Lager 2.




Digitized by Google

Digitized by Google

30.




31.



4



35.




37.




38.



Digitized by Google


44.
46.
47.
48
50.
56.
51.
54.

Digitized by Google



6

70.

71



Digitized by Google

Digitized by Google


6,

72.



Digitized by Google

Digitized by Google



VILLE DE LY
Biblioth. du Palais de

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google